

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Inauguralis Medica De Ictero

**Camerarius, Elias Rudolf
Mögling, Johann Burckhard**

Tubingae, 1679

X.

[urn:nbn:de:bsz:31-42086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-42086)

num proportione superant, eidemque & toti conseq. corpori alienum, sibi tamen proprium imprimunt colorem, quo sensu egregiè Icterus nigrum describit *Forest. l. 19. Obs. 22. in schol.* quod sit delatio sanguinis impuri, non expurgata ab eo nigra bile, in universum corpus; Flava tamen bilis deterius corrupta similem inducere poterit colorem, hinc nec malè à *Willisio tr. d. Urin. c. 4.* definitur, quod sit flavus diuturniori mora in deterio-rem effectus.

X. *Signa* quærentibus ipse se prodit hic affectus, flavus nimirum, aut obscurè viridescens, vel niger corporis color, qui in albidis ejusdem partibus citius perspicitur, quàm in reliquis; Album Oculi hoc malum faciliè revelat, proindeq; Ictericis interdum visa flava apparere affirmant *H. Capivacc. l. 3. Prax. c. 21. & P. Zacchias. quest. Med. Leg. l. 2. tit. 1. quest. 4. num. 6.* quod tamen rarè & tum, cum humores oculi inficiuntur, biliosoque humore splendente, contingere testatur ægrorum relatio, & negat cum Aliis *Mercurial. prax. lib. 1. cap. 32.* In venis quoque sublingualibus ob earundem amplitudinem & lingue laxitatem croceus hic color faciliè apparet. *C. Gemma l. 1. d. Nat. Div. charact. c. 7.* vidit & unguis, & labia, & crines cum omni corporis habitu extremè fulvos & aureos in icterica mensium suppressione laborante, teste *M. Donat. l. c. Borellus l. c. C. 1. Obs. 68.* observavit argentum in pera Ictericæ, mirum! citrino colore infectum. Urina est crassa, crocea, interdum viridis, & atra, cui immersa linteamina simili colore imbuuntur; Quod verò nulla exulceratio appareat, sub longiore præcipuè Ictero, quæstio est difficillima, cum in herpete bilis semper partem corrodat: Cystifelleam, licet bilis sincera ibidem vires suas habeat unitas, Natura sagaci consiliò, tanquam partem exquisitissimo sensu præditam contra contenti feritatem secundum superficiem internam, lento mucò obduxit, ut notat, qui instar omnium est, *J. Vesling. Synt. Anat. c. 4.* ob quam rationem & per vesicæ membranam tertiam & quartam vasa sanguinea non disseminari dicit *Celeb. Borrichius Act. Med. Hafn. Vol. 2. Obs. 53.* Veruntamen, cum aliis partibus Natura hoc modo non providerit, potius intimior feri, quod in specie ad humorem Pancreaticum restringit *Warth.*
Ade-

Adenogr. c. 13. bilis acrimoniam hinc temperat, quam planam facit bilis in hoc malo per urinam & sudorem frequens excretio, remanente licet colore, adde, quod alia herpetem, quam quæ Icterus, bilis efficere videatur; nam in Ictero intimius sero sulphuræ & biliosæ commixtæ, ab invicem solutæ, imò subactæ sunt particulæ; & quod vasa non similiter afficiantur; fit tamen non raro molestus sub cute pruritus, in diuturniore maximè Ictero, exempl. vid. ap. *Gr. Horst. Obs. Chir. l. 4. p. 2. Obs. 2.* quod in declinatione fieri ait *Sylvius prax. Med. l. 1. c. 46.* Junguntur aliæ communiter, (hinc naturalis excluditur Icterus) molestiæ; fervor & dolor lancinatorius circa dextrum hypochondrium, compressio, ut vocant, cordis, lassitudo, pigrities, gravitas, respiratio difficilis, oris amaror, anorexia, capitis dolor, alvi constipatio; Cur verò non omnes Phrenetici fiant Icterici, ex diversa biliosi humoris in utroque affectu conditione facilè patet.

XI. Venenum, ut ad potiores causarum species descendam, si in culpa, referet æger, vitæque antecedens, maculæ ubique ferè erumpent lividæ, nigræ, cæruleæ, aut diversicolores cum aliis signis veneni malitiam notantibus. Hepatis intemperiem calidam, item inflammationem, biliosi humoris copiam, & turgescentiam, designant pulsus celer, febris, tussis, sitis p. n. nausea, fastidium cibi, amaror oris, vomitus bilis, dextri quoque hypochondrii gravitas & dolor, urina erit intensè flava, feces verò alvi à naturalibus vix discrepantes, vel bile copiosâ tinctæ, quapropter præcipuè obstructionem abesse colligitur, cum in hac alvus sit pigra, argillosasque instar canis ossa rodentis feces deponat. Collum vesicæ fellæ obstructum patefacit Cardialgia, sive dolor tensivus juxta Cartilaginem ensiformem, qui affe tegetur, Autore Excell. *D. D. Wepfero in epist. contenta in Obs. Med. 79. Cent. 1. Exc. D. D. Verzaschæ.* Excrementa alvi viridia, lumborum dextri, præsertim, dolor, calor, horror, dolor nephriticum mentiens, effervescentiam biliosi humoris in intestinis notant. Criticus Icterus ex febre acuta, signis coctionis, die Critico, urina & fecibus naturalibus plerunque judicatur, Symptomaticus ex febre acuta, sed absque signis coctionis die non Critico,